The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Mors ch
cum fonte primo

Nimis tarde nobis mitti uidentur que cupiditates nostras irritant, ad paucos peruentura, omnibus expectata.
Ire obuiam cadentibus cupimus; gaudemus si quid
inuasimus inuidentque alii quos spes uana delusit.

Secedamus ab istis ludis et demus raptoribus locum.

Seneca LXXV. epistola.

Idem in his evenit quae fortuna desuper iactat: aestuamus miseri, distringimur, multas habere cupimus manus, modo in hanc partem, modo in illam respicimus;
nimis tarde nobis mitti videntur quae cupiditates nostras inritant, ad paucos perventura, expectata omnibus;
ire obviam cadentibus cupimus;
gaudemus si quid
invasimus invadendique aliquos spes vana delusit;
vilem praedam magno aliquo incommodo luimus aut †de† fallimur.
Secedamus itaque ab istis ludis et demus raptoribus locum;
illi spectent bona ista pendentia et ipsi magis pendeant.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 74, 8-9 (L. Reynolds ed., vol.1, p.226, ll.6-16).